

clusit. Promissiones illæ gratiæ toti cœtui factæ sunt, quæ si ad induratos non pertinerent, mendax Deus & hypocrita dicendus foret. Sed ego potius eos mendaces arbitror, qui Deum induratis verba dare fingunt, quasi Verbo quidem suo induratos promissâ gratiâ ad pœnitentiam invitaret, sed tamen nollet, induratos sibi hanc promissionem applicare. *Damasceni* autem locus in eadem thesi allegatus non distingvit inter desertionem impiorum partialem & totalem; sed inter desertionem piorum & impiorum. Unde *Pelargus* in notis ad Damascenum prioris desertionis exempla ponit Christum & Davidem, posterioris Saulem & Pharaonem. Præterea etiam impios Damascenus non ita à Deo desereri dicit, ut omni gratia priventur, sed propria malitia eos perire affirmat, Deo omnia, quæ ad salutem eorum faciunt, faciente.

### *Thesis XIV.*

Quæ in thesi 33. ad objectionem ab efficacia verbi divini depromptam respondentur, alibi in der *Vertheidigung* p. 46. jam discussa sunt. Nec melioris notæ sunt, quæ ad objectionem à gratia assistente defunctam regeruntur & ex iis, quæ hæcenus dicta sunt, haud difficulter diffilari possunt. Testimonia denique Theologorum nostratium disputationi de statu Induratorum passim inspersa, pleraque auctorem nihil juvant. Nonnulla ipsi adversantur, quæ est *Johannis Schmidii*, cujus loco *Balduinus* nominari debuisset ex *Comment.* in Zachar. Cap. VII. adductum

ctum